



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

Opuscula Spiritiva - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De Sacrificio Missae. VI. De Discretionem Spirituum ... Operum Eminentiss. Cardinalis, Tom. I

Bona, Giovanni

Parisiis, 1677

§. 15. Exercitatio patientiae, cum aliquid adversi occurrit

urn:nbn:de:hbz:466:1-9969

nuncios & secretarios: Patriarchas & Prophetas, tanquam consiliarios: Apostolos ut iudices: Martyres tanquam milites: Confessores tanquam thesaurarios; Virgines tanquam sponsas & dispensatrices. Praxis hujus exercitii his præceptis continetur. Primò, excitabis mentis torporem, considerando quàm miser sis, & miserabilis; nudus, & cæcus: & expurgabis te à peccatis per compunctionem. Secundò, ascendes Sanctorum habitacula per devotam contemplationem. Tertiò, captabis benevolentiam, eos reverenter salutando, magnificè commendando, & te profundè humiliando. Quarto, expones miseriam tuam, quia reus es & infirmus, omni vitio plenus, omni virtute destitutus; passionibus subiectus. Quintò, sequetur pia, humilis, & instans oratio, in qua exprimes id quod petis tibi utile, & necessarium esse, & ab eis duntaxat sperandum: pietatem eorum nulli unquam negatam, sed semper solitam omnibus misereri: te gratum, & memorem semper futurum. Sextò, tuam petitionem confirmabis variis probationibus, locis, & argumentis. Septimò, obsecrabis eos, & obtestaberis, per Dei misericordiam, & cætera attributa, per Christi mysteria, & pietatem eis exhibitam, per eorum charitatem, & viscera pietatis. Octavò, gratias ages Sanctis, quod à te exorari voluerint, quod crebrius tibi succurrere, & consolationem immittere dignati sint. Nonò, offeres Deo hoc exercitium in unione operum Christi, petens ab eo quæ à Sanctis postulasti. Hujus exercitii praxim diffusissimè tradit Gerson tractatu de spirituali mendicitate, Tomo tertio.

§. XV. *Exercitatio patientia cum aliquid adversi occurrit.*

CUm tibi aliqua evenerit adversitas, vel contrarietas, sive in corpore, sive in anima, sive in fama, & estimatione, statim confugiens ad orationem, in qua remedium omnium malorum reperitur, petes à Deo virtutem patientiæ. Postea respicies multitudinem peccatorum tuo-

C. Bona Opusc. Spirit.

I

rum, pravosque habitus, & inclinationem ad omnia mala,
& sic orabis.

» Peccavi, benignissime Jesu, & multiplicatæ sunt ini-
» quitates meæ super numerum arenæ maris: à planta
» pedis usque ad verticem capitis non est sanitas in me,
» & nisi gratia tua adjuvaret me, crescerent quotidie
» delicta mea usque ad cælum, adeo pronus ad malum
» sum. Ideo millies me damnare cum Angelis rebellibus
» debuisses igne sempiterno cruciandum: hæc est enim
» merces, quam merui tot sceleribus, & transgressionibus
» meis. Sed tu Domine fecisti mecum misericordiam
» tuam, & liberaisti me à perditione: & pro pœnis æter-
» nis, quas evasi per gratiam tuam, hisce minimis tribu-
» lationibus excerces me, ut purges à peccatis, & præ-
» pares ad gloriam. Istæ sunt rosæ, & lilia, quæ tu
» sponse animarum, ad ornandam animam meam mittis
» è cælo, ut placeat oculis tuis. Accepto hoc donum
» tuum libentissime, Domine Deus; & toto cordis affe-
» ctu hanc tribulationem, seu persecutionem amplector,
» quantumvis recalcitret perfidus sensus meus, & in
» contrarium renitatur. Non consentio perversis moti-
» bus partis sensitivæ, pravæ ejus suggestiones rejicio,
» Accepto, & volo quod tu vis. Fiat voluntas tua.

Hæc postrema verba sapius repetes: deinde obtutum
figes in Jesum crucifixum, & sic eum amanter alloqueris:
» Tu pro me pendes in cruce, Jesu dulcissime, spinis
» acutissimis coronatus, tu pro me spargis pretiosissimum
» sanguinem tuum, & crudelissimam toleras mortem:
» ego autem non feram ob tui amorem hanc levissimam
» tribulationem? Rex æternæ gloriæ, & Dominus uni-
» versorum pro me vilissimo servo atrocissimam patitur
» mortem, & ego omnium malorum reus propter ipsum
» nihil patiar? Solumnè igitur relinquam sponsum meum,
» vitam meam in tormentis? Absit hoc à me, bone Jesu,
» tecum pati volo, tecum affigi, & mori. Venite omnes
» tribulationes, omnes injuriæ, & contumeliæ, omnes

calumniæ, & derisiones; venite quotquot estis infirmitates, & adversitates: Deo juvante patienter feram quicquid ille immiserit mihi, qui tanta pro me passus est. Moriatur sensus, juguletur caro, vivat crux, vivat crux Christi.

Mentem demum elevabis ad Deum, & dices succenso affectu: Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Tu ab æternò prævidisti istam mihi eventuram adversitatem à tali persona, tali modo, & tempore, & cum talibus circumstantiis: & hanc præordinasti, & permittere decrevisti ad salutem animæ meæ. Gæudeo igitur & exulto; quod tua sanctissima voluntas adimpleatur in me. Omne meum velle & nolle tuo justissimo beneplacito prorsus subjicio. Absit à me tanta perversitas, ut meam distortam voluntatem tuis æquissimis decretis præferam. Volo quod tu vis, Deus meus, in tempore, & in æternitate. Accepto ex toto corde, & animò hoc donum tuum quantumvis asperum sensui, cum resignatione; & gratiarum actione. Fiat voluntas tua. His autem peractis Deum enixè deprecaberis pro his, à quibus injuriam passus es, si adversitas illata sit ab hominibus; illisque benefacere, & eos alloqui studebis, si occasio tulerit, animò admodum pacifico, & tranquillo.

§. XVI. *Exercitium perfectæ Resignationis.*

1. **U**T te perfectè expropries, & resignes in Deo; hoc exercitio uteris. Primò concipies animo, & propones invariabiliter manere in simplicissima unitate, & purissima simplicitate divinæ præsentia per totalem tui ipsius expropriationem, & remissionem, ac derelictionem in divino beneplacito & voluntate. Quoties attem spiritum tuum extra hanc dulcissimam mansionem reperies; suaviter in eam reduces absque ullo conatu intellectus, & voluntatis per solum amorem simplicis confidentiæ; & conformitatis: & hæc igitur commemoraberis,